

MARGARET

Queen of Sicily



Jacqueline Alio

tional statutes. Both codices were rediscovered during the nineteenth century.

That the contemporary chronicler Falco of Benevento mentions Roger's controversial introduction, at Ariano, of the ducat but not the new legal code suggests to some scholars that the *Assizes* were issued somewhat later and elsewhere. Moreover, the fact that the *Assizes of Capua* of Frederick II were deemed necessary in 1220 might lead a skeptic to question the application (or dissemination) of the earlier *Assizes of Ariano*. Thus far, a manuscript copy of the *Assizes of Ariano* dated to circa 1140, if it survives, has yet to be discovered.

The following texts incorporate minor stylistic editing, such as full words in place of abbreviations. Numeration of the statutes in the second codex was added by the author.

Codex Vaticanus 8782

Dignum et necessarium est o proceres si quod de nobis et universi regni nostri statu meritis non presumimus; a largitate divina gratia consecuta recepimus; divinis beneficiis quibus valemus obsequis respondeamus, ne tante gratie penitus ingrati simus. Si ergo sua misericordia nobis deus pius prostratis hostibus pacem reddidit, integritatem regni, tranquillitate gratissima, tam in carnalibus quam in spiritualibus, reformavit, reformare cogimur iustitie simul et pietatis itinera, ubi videmus eam et mirabiliter esse distortam. Hoc enim ipsum quod ait, inspiramentum, de munere ipsius largitoris, accepimus, dicente ipso: per me reges regnant et conditores legum decernunt iustitiam. Nichil enim gratius deo esse putamus, quam si id simpliciter offerimus, quod eum esse cognovimus, misericordiam scilicet atque iustitiam. In qua oblatione regni officium quoddam sibi sacerdotii vendicat privilegium.

Unde quidam sapiens legisque peritus iuris interpres, iuris sacerdotes appellat. Iure itaque qui iuris et legum auctoritatem per ipsius gratiam optinemus, eas in meliorem statum partim erigere, partim reformare, debemus et qui misericordiam consecuti sumus in omnibus eas tractare misericordius, interpretari benignius, presertim ubi severitas earum quandam inhumanitatem inducit. Neque hoc ex supercilio quasi iustiores aut moderatores nostris predecessoribus in condendis legibus interpretandisve nostris vigiliis arrogamus, set quia in multis delinquimus et ad delinquendum et ad delinquendum procliviores sumus, parcendum delinquentibus cum moderatia nostris temporibus apta conveniens esse censemus.

Nam et ipsa pietas ita nos instruit dicens: Estote misericordes sicut et pater vester misericors est.

Et rex et propheta: Universe vie domini misericordia et veritas. Et proculdubio tenebimus, quia iudicium sine misericordia erit ei qui iudicium fecerit sine misericordia.

Volumus igitur et iubemus ut sanctiones quas in presenti corpore sive promulgatas a nobis, sive compositas nobis facimus exhiberi, fideliter et alacriter recipiatis.

I. De legum interpretatione

Leges a nostra maiestate noviter promulgatas pietatis intuitu asperitatem nimiam mitigantes mollia quodam moderamine exaucuentes; obscura dilucidantes, generaliter ab omnibus precipimus observari, moribus, consuetudinibus, legibus non cassatis pro varietate populorum nostro regno subiectorum, sicut usque nunc apud eos optinuit, nisi forte nostris his sanctionibus adversari quid in eis manifestissime videatur.

II. De privilegio sanctarum ecclesiarum

Noverint ergo omnes nostre potestati subiecti, quoniam in voto nobis semper fuit, et erit, ecclesias dei pro quibus dominus Ihesus sanguinem suum fudit, protegere, defensare, augere modis omnibus, sicut et proenitores nostri consueta liberalitate, id ipsum facere studuerunt, ideoque multa et innumera beneficia a deo consecuti sunt semper in melius. Itque sacrarum ecclesiarum res omnes et possessiones in nostra post deum et sanctos ejus custodia collocatas atque commissas ab omnibus incursibus malignantium, gladio materiali nobis a deo concessas defendimus et inviolatas custodimus; principibus, comitibus, baronibus et omnibus nostris fidelibus commendamus, scituri, quod nostrum decretum quisquis violare voluerit, nostram se sentiat ledere majestatem.

III. Monitio generalis

Monemus principes, comites, barones, maiores atque minores, archiepiscopos, episcopos, abbates, cunctos denique qui subditos habent cives, burgenses, rusticos, sive cuiuscumque professionis homines, eos humane tractare, misericordiam adhibere, maxime cum debitum adiutorium conveniens et moderatum valent ab ipsis quos habent subditos, postulare. Gratum enim deo faciunt, et nobis maximum gaudium, cuius potestati atque regimini divina dispositio, tam prelatos subdidit quam subiectos. Quod si fuerit neglectum, nostram spectabit sollicitudinem male factum in melius reformare.

IV. De rebus regalibus

Scire volumus principes nostros, comites, barones universos archiepiscopos, episcopos, abbates, quicumque de regalibus nostris magnum vel modicum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio, possit ad nostra regalia pertinens alienare, vel vendere, vel in totum vel in partem minuere, unde iura rerum regalium minuantur, aut subvertantur sive aliquod etiam dampnum patiantur.

V. De sanctarum reliquiarum venditione

Sanccimus nemini licere martirum, vel quorucumque sanctorum reliquias vendere, vel comparare. Quod si presumptum fuerit, nondum pretio numerato nichil ets consecuturus si venditor emptorem voluerit convenire. Si autem numeratio facta est, emptori repetitionem non esse, fiscum vero vendicare. Nostram spectabit providentiam temeritatem contrahentium cohercere, et ubi decuerit, reliquias cum consilio antistitum collocare.

VI. De confugio ad ecclesiam

Presente lege sancimus per loca regni nostri omnia deo propitio in perpetuum valitura nullos penitus, cuiuscumque condicionis de sacrosantis expelli ecclesiis, aut protrahi confugas, nec pro his venerabiles episcopos, aut yconomos exigi, que debentur ab eis qui hoc moliri aut facere presumpserit, capitis periculo, aut bonorum omnium ammissione plectendis. Interim confugis victualia non negentur. Sane si servus, aut colonus, aut servus glebe se ipsum subtraxerit domino, vel furatus res ad loca sancta confugerit, cum rebus quas detulit, domino presentetur, ut pro qualitate commissi subeat ultionem, aut intercessione procedente restituatur et gratie. Nemini quippe ius suum est detrahendum.

VII. De privilegiis ecclesiarum non violandis

Si venerabilis ecclesie privilegia cuiuscumque fuerint temeritate violata dolove suppressa commissum iuxta dampnositatem ecclesie compensetur. Quod si non sufficiat ad condemnationis mulctam, regis iudicio vel officialium arbitrio committetur. Nichilominus pro qualitate commissi regis providentie, vel officialium arbitrio subiacebit.

VIII. De episcoporum privilegio

Episcopus ad testimonium non flagiterur, nisi forte in causis ecclesiasticis, vel publicis, cum necessitas, aut regis auctoritas postulaverit. Presbyteri non cogantur corporale sacramentum in negotiis exhibere; diacones, subdiacones et infra positos altari sacri ministros, ab obsequiis sordidis alienos esse precipimus; presbiteros tantum non etiam ceteros omnibus angariis personalibus prohibemus.

IX. De illicitis conventiculis

Conventiculam illicitam extra ecclesiam in privatis edibus celebrari vetamus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus eius in eam clericos novam vel tumultuosam conventiculam celebrantes, susceperit non ignarus.

X. De ascripticiis volentibus clericari

Ascripticios sine voluntate et assensu eorum quorum iuri subditi sunt, et potestati, nullus episcoporum ordinare presumat, neque de aliensa parrochia, per litteras commendatorias secundum canonum instituta, vel ab episcopo, vel a proprio capitulo. Hii quorum ascripticii sunt, si quod premium pro data licentia consecrandi suscepisse convicti fuerint, huiusce ascriptiij perdant qui dedit pecuniam ab ordine cadat, fisco vero cum omnibus rebus suis vendicetur. Solent sancto voto atque proposito sanctis occasionibus pravitas se ingerere, et dei servitium atque ecclesie ministerium perturbare. Ne ergo sinistrum aliquod aliquando possit nostris institutionibus obviare, si forte in rure vel in vico ecclesia assignatos habuerit sacerdotes quibus decedentibus sint alii (subgrandi et) domini ruris vel vici super ascripticiis, episcopo fieri subgorationem negaverint, presertim cum ex ipsis ascripticiis persona ydonea ab episcopo expectatur, dignum nostre clementie videtur, atque iustissimum ad iustam

petitionem ecclesie ascripticiorum dominum iure cogendum; filii vero decedentis presbiteri ad ascripticiorum condicionem reddatur omni occasione remota.

XI. De raptum virginum

Si quis rapere sacratas deo virgines aut nondum velatas causa iungendi matrimonium presumpserit, capitali pena feriat, vel alia pena quam regia censura decreverit.

XII. (sic)

Iudeus paganus servum christianum nec vendere, nec comparare audeat, nec ex aliquo titulo possidere seu pignori detinere. Quod si presumpserit, omnes res eius infiscentur, et curie servus fiat. Quem si forte ausu vel nefario vel suasu circumcidi vel fidem abnegare fecerit, capitali supplicio puniatur.

XIII. De apostatantibus

Apostantes a fide catholica penitus execramus, ultionibus insequimur, bonis omnibus spoliamus, a professione vel voto naufragantes legibus coartamus, successiones tollimus, omne ius legitimum abdicamus.

XIV. De ioculatoribus

Mimi et qui ludibrio corporis sui questum faciunt, publico habitu earum virginum, que deo dicatae sunt, vel veste monachica non utantur, nec clericali; si fecerint verberibus publice afficiantur.

XV. De pupillis et orphanis

Pupillis et orphanis pietatis intuitu, multa privilegia priscis legibus confirmata pro qualitate temporum quibus absolverint in ultimo delegamus nostri iudicibus ubi iactura tollerabilis non est, favorabiliter commendamus. Mulieribus nichilominus ubi non modice lese sunt, propter fragiliorem sexum, legum equitatem sectantes tam per nos, quam per officiales nostros ex pietatis visceribus subveniendum decrevimus, sicut decet et oportet.

XVI. De indigne anelantibus ad sacerdotum

Nemo sacerdotum dignitatem pretio petere audeat, contumeliam pro premio reportaturus et penam, mox ut fuerit propria petitione detectus. Ille enim honore se privat, qui inpudenti fronte, velud importunus expostulat.

XVII. De sacrilegiis

Disputari de regis iudicio, consiliis, institutionibus, factis non oportet. Est enim par sacrilegio disputare de eius iudiciis, institutionibus, factis atque consiliis et an is dignus sit quem rex elegerit, aut decernit. Multe leges sacrilegos severissime punierunt, set pena moderanda est arbitrio iudicantis, nisi forte manufacta templa

dei fracta sunt violenter, aut dona et vasa sacra, noctu sublata sunt, hoc enim casu capitale est.

XVIII. De crimine maiestatis

Quisquis cum milite uno vel cum pluribus, seu privato scelestem inierit factionem aut factionis dederit, vel susceperit sacramentum, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis et consistorio nostro intersunt, cogitaverint et tractaverint, eadem severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri iura voluerunt, ipse quidem ut pote reus maiestatis gladio feriat, bonis eius omnibus fisco addictis; filii vero eius nullum unquam beneficium sive a nostro beneficio seu iure consensum optineant. Sit ei mors solacium et vita supplicium. Quod si quisquam de factiosis mox sine mora factum detexerit, veniam et gratiam mox sequatur. Crimen maiestatis post mortem rei etiam incipit et tractatur; rei à memoria condempnatur, adeo ut quicquid contraxerit, fecerit, statuerit, a die criminis nullam habeat firmitatem; set omne quod habuit, fisci iuribus vendicetur. Hoc crimine qui parentem purgaverit, eius successionem meretur. Hoc crimine tenentur omnes, quorum consilio fugiunt obsides, armantur cives, seditiones moventur, concitantur tumultus, magistratus necantur, exercitus deseritur, ad hostem fugitur, socius proditur, dolo malo cuneus discinditur, bellis ceditur, ars desolatam relinquitur, sociis auxilium denegatur, cetaraque huiusmodi sicut regii consilii explorator, summissor et publicator, et qui susceperit hospitio hostes regni, et ductum prbeuerit non ignarus.

XIX. De nova militia

Divine iustitie consentientes probanda probamus contrarium refutamus. Sicut, enim, nullatenus exasperandi sunt boni, ita beneficiis non sunt fovendi mali. Sancimus, itaque tale proponentes edictum, ut si quicumque novam militiam arripuerit, contra regni nostri beatitudinem, atque pacem, sive integritatem, militie nomine et professione, penitus decidat, nisi forte a militari genere per successionem duxerit prosapiam. Idemque statuimus de sortientibus qualiscumque professionis ordinem, ut puta si vel auctoritatem iudicii optinuit, sive notariorum officium, ceterisque similibus.

XX. De falso

Qui litteras regias aut mutat aut quas ipse scripsit notho sigillo subsignat, capitaliter puniatur.

XXI. De cutendibus monetam

Adulterinam monetam cudentibus, vel scienter eam accipientibus, penam capitis irrogamus, et eorum substantiam publicamus; consentientes etiam hac pena ferimus. Qui nummos aureos vel argenteos raserint tinxerint, vel quocumque modo imminuerint, tam personas eorum, quam bona omnia publicamus.

Ubi questio falso inciderit, diligens inquisitio mox sequatur, argumentis, testibus, collatione scripturarum, et aliis vestigiis veritatis. Non solum accusator probationibus honeretur, set inter utramque personam iudex sit medius, ut omnibus que competunt exquisitis, demum sententiam ferat. Capitali post probationem supplicio secuturo si id exigat magnitudo supplicii, vel alia pena pro qualitate delicti.

XXII. De falso instrumento

Qui falso instrumento nesius utitur, falsi crimine non punitur. Qui falsitatem testibus astruxerit, falsi pena coerchetur.

XXIII. De abolitione testamenti

Amator testamentorum, publicorum instrumentorum, celator, delator, perversor, eadem pena tenetur. Si quis patris testamentum deleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privatur.

XXIV. De officialibus publicis

Qualitas persone gravat et relevat penam falsi. Officiales reipublice, vel iudicis qui tempore amministrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii crimini peculatus, capite puniantur, nisi regia pietas indulserit.

XXV. De bonis publicis

Qui sua negligentia bona publica deperire, vel minui permiserit, in persona propria et rebus suis, constituetur obnoxius, et hoc prospectu pietatis rege. Qui sciens furantibus assensum prebuerit, eadem lege tenetur.

XXVI. De coniugiis legitime celebrandis

Quoniam ad curam et sollicitudinem regni pertinet leges condere, populum gubernare, mores instruere, pravas consuetudines extirpare, dignum et equum visum est nostre clementie, quandam pravam consuetudinem, que quasi clades et lues huc usque per diuturna tempora, partem nostri populi perrependo pervasit edicti nostri mucrone decidere, ne liceat vitiosas pullulas de cetero propagare. Absurdum quippe moribus repugnans sacrorum canonum institutis, christianis auribus inauditum est, matrimonium velle contrahere, legitimam sobolem procreare, indivisibile vite consortium alligare, nec dei favorem et gratiam nuptis nuptiarum in stabulis querere, et tantum in Christo et ecclesia ut dicit apostulus sacramentum confirmandum per sacerdotum ministerium creare. Sancimus itaque lege presenti deo propitio perpetuo valitura, volentibus omnibus legitimum contrahere matrimonium necessitatem imponi, quatinus post sponsalia nuptias celebraturi sollempniter quisque pro suo modulo seu commodo, limen petant ecclesie sacerdotum benedictionem post scrutinium consecutum anulum ponat, pretii postulationique sacerdotali subdantur, si volunt futuris heredibus successionem relinquere.

Alioquin noverint ammodo molientes contra nostrum regale preceptum, neque ex testamento, neque ab intestato se habituros heredes legitimos, ex illicito per nostram sanctionem matrimonio procreatos. Mulieres etiam dotes, et aliis nubentibus legitime debitas non habere. Rigorem cuius sanctionis, omnibus illis remittimus, qui promulgationis eius tempore, iam matrimonium contraxerunt.

Viduas vero volentibus ducere, huius necessitatis vinculum relaxamus.

XXVII. De adulteris

Generali lege presente sancimus pietatis intuitu, cui viscera tota debemus, quotiens a nostra provisione et ordinatione iura regentibus accusatio adulterii aut stupri fuerit presentata, oculo non caligante personam despiciere, condiciones notare, etates et consilium animi investigare, si deliberatione vel consultatione, vel lubrico etatis proruperint, ad facimus, vel prolapse sint. Utrum earum fortuna tenuis sit an torosa, petulantia stimulate fuerint, an dolore maxime materiali. Ut, his omnibus perquisitis, probatis vel manifestis, non de rigore iuris, set de lance equitatis, super commissis excessibus, lenior vel asperior sententia feratur. Sic, enim, perfecta iustitia divine iustitie respondebit. Nam nec nos poterit illa divina sententia: in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.

Legum igitur asperitate lenita, non ut olim gladio agendum, set rerum ad eam pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato, vel alio non habuerit. Periniquum est successione quippe fraudari, qui nati sint eo tempore quo thori lex legaliter servabatur. Aut viro traenda est, nullatenus ad vite periculum servituro, set ultionem thori violati, nasi truncatione, quod seivius et atrocius inducitur persecuturo. Ultra enim, neque viro, neque parentibus seivire licebit. Quod si vie eius noluerit in eam dare vindictam, nos huiusmodi maleficium non sinemus inultum, precipimus publice flagellandum.

Qui coram se spectante, vel arbitrio, permittit cum ganeis suam coniugem lascivire, non facile poterit vero iudicio accusare. Viam quippe mechandi aperit, qui cum possit prohibere consentit.

Quamvis uxorem suspectam quis habeat, eum lenocinii non dapnamus. Quis enim alieni thori iure inquitet quietem. Quod si patenter deprehendimus quempiam habere uxorem questuosam, dignam nostris temporibus mox sequimur pene vindictam, eum quoque pena infamie condempnamus. Femine penitus, et adulterii et stupri severitate iudiciaria prestentur immunes, quas vilitas vite dignas legum observatione non credit.

XXVIII. De eodem

Que passim venalem formam exhibuit, et vulgo prostitutam se prebuit, huius criminis accusationem ammovit. Violentiam tamen ei ingeri prohibemus, et inter boni testimonii feminas, ei habitationem vetamus. Adulter, adultera simul accusari non possunt, alter singulariter est accusandus, et rei exitus expectandus. Nam si adulter defendi poterit, mulier est segura, nulli ulterius responsura. Si vero fuerit condempnatus, tunc demum mulier accusatur.

Lex delectum non facit, quis primum conveniri debeat. Set si uterque presens est, vir conveniendus est primum.

Repudium in accusatione est semper permittendum; neque violentia seu detentio est adhibenda.

XXIX. De lenocinio

Lenas sollicitantes alienam scilicet castitatem genus criminis pessimum, tamquam ipsas adulteras puniendas presente lege sanccimus. Matres virgines filias venalicias proponentes, et maritalia federa fugientes, ut lenas ipsas persequimur,

scilicet ut nasus ejus abscidatur. Castitatem enim suorum viscerum vendere inhumanum est et crudele. Quod si filia se ipsam tamen prostituerit, mater vero solummodo consentit, iudicum arbitrio relinquatur.

XXX. De violatione thori

Si providentia rege celsitudinis nullo modo patitur inter regni nostri militem baronum nostrorum quemlibet alterius castrum invadere, predas committere, cum armis insurgere, vel inique fraudari, quin pro commisso bonorum omnium iactura ipsum afficiat, quanto amplius dampnandum censemus si compatriis et vicini thorum violare presumpserit. Intolerabile prorsus de iure videtur. Sancimus itaque si de tali facto nobis aliquando fuerit proclamatum, manifestum fuerit, vel probatum, bonorum omnium mulctatione plectendum. Si maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam uxorem, quam adulterum occidere licebit, nulla tamen mora protracta.

XXXI. De adulterio

Lex maritum lenocinii pena cohercet, qui uxorem in adulterio deprehensam, retinuerit, adulterumque dimiserit, nisi forte sine sua culpa ille diffugit.

XXXII. De desistendibus ab accusatione

Qui post crimen adulterii intentatum uxorem receperit, destitisse videtur ab accusatione ideoque suscitare questionem ultra non poterit.

XXXIII. De iniuriis privatis personis illatis

Quod iuri et rationi est consentaneum satis iure cunctis est gratum, et quod a ratione equitatis discrepat, universis ingratitude representat. Nulli igitur mirum si quod in homine deus carius et dignius posuerit, cum negligitur atque despicitur, et inprobo iudicio vilipenditur, sapiens et honestatis amicus rationabiliter indignatur. Quid enim absurdius quam equa lance pensari ubi iumentum cauda decerpitur, et ubi honestissimi viri barba depilatur.

Pro suggestione ergo populi nostro regno subiecti atque supplicatione legum suarum ineptitudinem cognoscentis hanc legem et edictum proponimus. Ut cuicumque de popularibus excusato, tamen et deliberatione barba fuerit depilata, reus talis commissi pena huiusmodi feriatur solidis aureis scilicet regiis sex; si vero in rixa factum fuerit, sine deliberatione et studio, de eisdem solidis III.

XXXIV. De iniuriis personis illatis curialibus

Observent diligentissime iudices, ut in actione iuriarum, curialium dignitatem personarum considerent, et iuxta personarum qualitatem sententiam ferant, eorum scilicet quibus fiunt, et eorum qui faciunt, et quando ubi temeritas presumitur, et iuxta qualitatem personarum sententiam ferant; ipsis autem facta iniuria, non ad ipsos dumtaxat, set etiam ad regie dignitatis spectat offensam.

XXXV. De mederi volentibus

Quisquis ammodo mederi voluerit, officialibus et vicibus nostri se presentet, eorum discutiendus iudicio. Quod si sua temeritate presumpserit, carcere constringatur, bonis ejus omnibus publicatis. Hoc autem prospectum est, ne quilibet nostro regno subiecti periclitentur imperitia medicantum.

XXXVI. De plagiariis

Qui sciens liberum hominem vendiderit hac pena legitima teneatur, ut ex bonis suis venditus redimatur; ipse vero maleficus curie nostre servus sit, bonorum suorum residuo publicato. Quod si non poterit redimi, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis eius curie addictis. Quocumque autem venditus redeat, maleficus curie servus fiat, fillis etiam post hunc casum nascentibus subiectis curie perpetue servituti.

XXXVII. De sicariis

Qui aggressorem vel latronem in dubio vite discrimine constitutis occiderit, nullam ob id factam calumpniam metuere debet.

XXXVIII. De infantibus et furiosis

Infans sine malignitate animi et furiosus si hominem occiderit, non tenetur. Quia alterum innocentia consilii, alterum fati infelicitas excusat.

XXXIX. De fure

Nocturnum furem qui occiderit, impune ferat si aliter comprehendi non potuerit, dum modo clamore id fiat.

XL. De incendiariis

Qui dolose domum incenderit capitis pena plectatur, velud incendiarius. In maleficiis voluntas spectatur non exitus; nichil enim interest occidat quis an mortis causam prebeat.

XLI. De precipitatoribus

Qui de alto se ipsum precipitat, et hominem occiderit, et ramum incautus proiciens, non proclamaverit, seu lapidem ad aliud iecit, hominemque occidit, huic pene non succumbit.

XLII. De poculo

Mala et noxia medicamenta, ad alienandos animos, seu venena quis dederit, vendiderit, habuerit, capitali sententia feriat. Poculum amatorium, vel aliquem cibum noxium, quisquis instruxerit, etiam si neminem leserit, impunis non erit.

XLIII. Si iudex litem suam fecerit.

Iudex si accepta pecunia reum quem criminis et mortis fecerit, capitis periculo subiacebit. Si iudex fraudulentè atque dolose sententiam contra leges protulerit, auctoritate iudiciaria inrecuperabiliter cadat, notetur infamia, rebus eius omnibus publicatis. Quod si ignorantia a iuris sententia oberraverit, ferens iudicium pro simplicitate animi manifesta, regie misericordie et providentie subiacebit.

Codex Casinensis 468

Leges a nostra maiestate noviter promulgatas, generaliter ab omnibus precipimus observari, moribus, consuetudine, et legibus non cassatis, nisi forte nostris his sanctionibus adversari quid in eis manifeste videatur.

1. De privilegiis ecclesiarum

Primo itaque iura sanctarum ecclesiarum, res omnes et possessiones earum in nostra post deum et sanctos ejus custodia collatas ab omnibus incursibus malignantium, gladio materiali a deo nobis concessa defendimus et inviolatas custodimus; quisquis hoc nostrum decretum violare voluerit, nostram senserit ledere maiestatem.

2. Ut domini subiectos humane tractent

Monemus, princeps, comites, et barones, omnesque dominos, subiectos humane tractare, misericordiam adhibere, maxime cum debitum adiutorium et moderatum et conveniens volent ab ipsis, quos habent subiectos, postulare.

3. Ut regalia non minuantur

Quicumque de regalibus nostris magnum vel modicum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio possit ad nostra regalia pertinens donare, vendere, vel alienare, vel in totum vel in partem minuere.

4. De sacrosanctis ecclesiis, et episcopis, et clericis

Sancimus nemini licere sanctorum reliquias vendere vel comparare. Sancimus sub capitis periculo nullos penitus cuiuscumque condicionis de sacrosanctis ecclesiis expelli aut protrahi confugas; nec pro his venerabiles episcopos vel iconomos exigique debentur ab eis; nec ipsis confugis interim victualia negentur. Servus vero, colonus, seu gleba servus, subtrahens se domino, vel furatus res ad loca sacra confugiens, cum rebus quas detulit domino presentetur.

Privilegia ecclesiarum inconcussa servantur. Episcopus ad testimonium non flagiterur, nisi forte in causis ecclesiasticis vel publicis, et cum summa necessitas, aut regis auctoritas postulaverit. Diaconos et subdiaconos et infra positos altari sacri ministros, ab obsequiis sordidis, alienos esse precipimus. Presbiteros vero tantum non etiam ceteros ab angariis personalibus prohibemus.

5. De illicitis conventiculis

Conventiculam illicita extra ecclesiam in privatis edibus celebrari vetamus.

6. Ne servi vel ascripticii clericentur

Ascripticios sine voluntate eorum quorum iuri subditi sunt, nullus episcoporum ordinare presumat. Iudeus, paganus, servum christianum, nec compare audeat nec ex aliquo titulo possidere.

7. De ioculatoribus

Mimi et mime, et qui ludibrio corporis sui questum faciunt, publico habitu veste monachica, vel clericali non utantur; quod si fecerit, verberibus publice afficiantur.

8. De raptu

Si quis rapere sacratas virgines, aut nondum velatas causa iungendi matrimonium presumpserit, capitali pena feriatur.

9. De apostatis

Apostatas insequimur ultionibus, bonis omnibus spoliamus. A professione vero naufragantes seu voto legibus coartamus, succesiones tollimus, omne ius legitimum abdicamus.

10. De pupillis et orphanis

Leges que pro pupillis et orphanis faciunt relevamus. Mulieribus lesis ex pietatis visceribus propter fragiliorem sexum subveniendum decrevimus sicut decet, et quatenus oportet.

11. De sacrilegis consiliis

Disputari de regis iudiciis, consiliis, institutionibus et factis non oportet; talis disputatio par sacrilegio computatur. Multe leges sacrilegos severissime punierunt, set pena moderata est arbitrio iudicantis, nisi forte manu facta templum dei fractum est violenter, aut dona et vasa sacra noctu sublata sunt, hoc enim casu capitale est.

12. De crimine maiestatis

Quisquis cum milite uno aut pluribus seu privato villano scelestam inhierit factionem aut factionis dederit vel susceperit sacramentum, de nece etiam virorum illustrium, qui consiliis et consistorio nostro intersunt, cogitaverint et tractaverint, eadem enim severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri iura voluerint, ipse quidem ut pote reus maiestatis gladio feriatur, bonis eius fisco addictis. Filii vero eius nullum unquam beneficium sive a nostro beneficio seu iure confertum

optineant; sit ei mors solacium et vita supplicium. Quod si quisquam de factiosis mox sine mora factam detexerit, et premio a nobis et honore donabitur.

Is vero qui usus fuerit factione, si vero tamen incognita adhuc patefecerit et conciliorum archana absolute tantum ac venia dignus habebitur; sic tamen, si suis assertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam et premium a nostra clementia consequetur; alioquin capitali pena plectetur.

Crimen maiestatis post mortem rei etiam incipit et tractatur, et rei memoria condempnatur adeo ut quicquid contraxerit, fecerit, statuerit, a die criminis nullam habeat firmitatem; hoc crimine qui parentem purgaverit, eius successionem meretur.

Hoc crimine tenentur omnes quorum consilio fugiunt obsides, armantur cives, seditiones moventur, concitantur tumultus, magistratus necantur, exercitus deseritur, ad hostem fugitur, dolo modo cuneus scinditur, socius proditur, bellis ceditur, arx desolatur vel relinquitur, sociis auxilium denegatur, cetarumque huiusmodi, ut regii consilii explorator, sive missorum publicator et qui susceperit hostes regni hospitio, vel ductum prebuerit non ignarus.

13. De injuriis curialium

Observent iudices diligentissime, ut in actionem injuriarum curialium personarum dignitatem et qualitem eorum quibus illate sunt, et eorum qui faciunt, et quando, et ubi, huiusmodi temeritates presumuntur, et sic ferant sententiam; quia non ad ipsos dumtaxat, sed ad regie dignitatis spectat offensam.

14. De crimine falsi

Qui litteras regias aut mutat, aut quas ipse scripsit notho sigillo subsignat capitaliter puniatur. Qui falso instrumento utitur nescius, falsi crimine non punitur.

Adulterinam monetam cudendibus vel scienter eam succipientibus, et utentibus, penam capituli irrogamus, et eorum substantiam publicamus; consentientes etiam, hac pena ferimus.

Qui nummos aureos vel argenteos raserit, tinxerit, vel aliquo modo minuerit, tam personas eorum, quam bona omnia publicamus.

Qui falsitatem testibus astruxerit falsi pena coherceantur.

Motor testamentorum publicorum, instrumentorum celator, deletor, perversor, eadem pena tenetur.

Si quis patris testamentum aboleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privetur.

Qualitas persone gravat et relevat penam falsi.

15. De coniugiis

Sancimus lege presenti, volentibus omnibus legitimum contrahere matrimonium necessitatem imponi, quatenus post sponsalia celebraturi nuptias sollempniter quisque pro modulo suo seu quomodolibet limen petat ecclesie, sacerdotum benedictionem post scrutinium consecuturum anulum ponat, preci postulationique sacerdotali subdantur, si voluerint futuris heredibus successiones relinquere. Alioquin amodo molientes contra regale nostrum edictum, neque ex testamento neque ab intestato, habituros se legitimos filios heredes ex illicito matrimonio per nostram sanc-

tionem noverint procreatos; mulieres etiam aliis nubentes legitimas dotes debitas non habere. Viduas vero volentibus ducere hoc necessitatis vinculum relaxamus.

16. De crimine adulterii

Generali lege sancimus quotiens nostra provisione et ordinatione iura regentibus accusatio adulterii vel strupi fuerit presentata, oculo non caligante personas despiciere, condiciones notare, etates et consilium animi investigare, si deliberatione, consultatione, vel lubrico etatis proruperint ad facinus vel prolapse sint, an dolore maxime maritali; ut, his omnibus perquisitis, probatis vel manifestis, non de rigore iuris set de lance equitatis super commissis excessibus levior vel asperior sententia proferatur. Sic enim profecto iustitia nostra divine iustitie respondet.

Legum igitur asperitate lenita, non ut olim gladio agendum, set rerum ad eam pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato vel alio non habuerit. Iniquum enim est eos successione privari, qui nati sunt eo tempore quo thori lex legaliter servabatur. Aut viro tradenda est nullatenus ad vite periculum servituro, set ultionem thori violati nasi truncatione quod seivius et atrocius inducitur persecutor; ultro enim nec viro nec parentibus seivire licebit. Quod si vir eius noluerit in eam dare vindictam, nos maleficium huiusmodi non sinemus inultum; precipimus igitur publice flagellandum.

Qui coram se spectante, vel arbitrio permittit cum ganeis coniugem suam lascivire non facile nostro iudicio poterit accusare. Viam quippe peccandi mechandi aperit, qui cum possit pohibere consentit.

Quamvis uxorem suspectam quis habeat, quamvis famosam, si tamen fidem habet, eum lenocinii non dampnamus; quis enim iure thori alieni inquietet quietem. Quod si patenter deprehendimus quempiam habere incestuosam uxorem, dignam mox sequemur pene vindictam; eum quoque pena infamie condempnamus.

Femine penitus et adulterii et stupri prestantur immunes iudiciaria severitate, quas vilitas vite dignas legum observatione non credidi, sicut ministre caupone.

17. De meretricibus

Que passim formam venalem exhibuit, et vulgo prostitutam se prebuit, huius criminis accusationem amovit; violentiam tamen ei ingeri prohibemus, et inter boni testimonii feminas habitare vetamus.

18. De accusatione adulterii

Adulter et adultera simul accusari non possunt, alter singulariter est accusandus, et rei exitus expectandus; nam si adulter defendi poterit, mulier est segura, nulli ulterius responsura. Si vero fuerit condempnatus, tunc demum mulier accusatur.

De crimine adulteri pacisci non licet, et par delictum accusatoris prevaricatoris et refugientis veritatis inquisitionem. Qui autem pretium pro comperto stupro accepit, pena legis Julie de adulteriis tenetur. Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore, inferre non posse nemini dubium est.

Lex delectum non facit, quis primum debeat conveniri, set, si uterque est presens, vir convenendus est primum. Repudium in hac accusatione pretermittendum, neque violentia seu detentio adhibenda.

19. De officialibus rei publice

Officiales rei publice vel iudices qui in tempore amministrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii crimine peculatus, capite puniuntur, nisi regia pietas indulserit.

Qui sua negligentia bona publica deperire vel minui permiserit, et in persona propria et in rebus suis constituetur obnoxius; et hoc prospectu regie pietatis.

20. De furtis

Qui sciens, furanti sinum prebuit, eadem pena tenetur.

21. De crimine lenocinii

Lenas sollicitantes alienam castitatem genus criminis pessimum tamquam ipsas adulteras puniendas, presenti lege sancimus.

Matres virgines filias venalicias proponentes et maritalia federa fugientes, ut lenas ipsas persequimur, scilicet ut nasus earum abscidantur; castitatem enim et virginitatem suorum viscerum vendere inhumanum est et crudele; quod si filia se ipsam tamen prostituit, mater vero tantum consentit, iudicis arbitrio relinquetur.

Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio tenuerit, non qui suspectam adulteram habuerunt.

22. De eodem

Si providentia rege celsitudinis nullo modo patitur inter regni nostri limitem baronum nostrorum quemlibet alterius castrum invadere, predas committere, cum armis insurgere, vel inique fraudari, quin pro commisso bonorum omnium ipsum iactura afficiat; quanto amplius dampnandum censemus, si compatriis vel vicini thorum violare presumpserit quis intolerabile prorsus de iure videtur. Sancimus itaque si de tali facto nobis aliquando fuerit proclamatum, et manifestum fuerit vel probatum, bonorum omnium mulctatione plectendum.

23. De vindicta adulterantium

Si maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam adulterum quam uxorem occidere licebit, nulla tamen mora protracta. Lex maritum lenocinii pena coerchet, qui uxorem in adulterio deprehensam retinuit, adulterumque dimisit; nisi forte sine sua culpa ille diffugerit.

24. De desistentibus ab accusatione

Qui post crimen adulterii intemptatum uxorem receperit, destitisse videtur, ideoque suscitare questionem ultra non poterit.

25. De plagiariis

Qui sciens liberum hominem vendiderit, hac pena legitima teneatur, ut ex bonis suis venditus redimatur; ipse vero maleficus curie servus sit, bonorum suorum residuo pub-

licato; quod si ex rebus ipsius redimi non poterit, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis eius curie addictis; quocumque autem casu venditus redeat, maleficus curie servus fiat, filiis etiam post hunc casum nascentibus subiecti sint curie perpetua servitute.

26. De sicariis secundum legem corneliam

Qui aggressorem vel latronem, in dubio vite discrimine constitutis occiderit, nullam, ob id factum, calumpniam metuere debet. Qui aggressorem ad se venientem ferro repulerit, non homicida set defensor salutis est.

Nocturnum furem qui occiderit, impune feret, si aliter comprehendi nequiverit, si modo cum clamore id fiat.

Infans sine malignitate animi et furiosus si hominem occiderit, non tenetur; quia alterum innocentia consili alterum facti infelicitas excusat

Nichil interest occidat quis, an mortis causam prebeat.

In maleficiis voluntas spectatur non exitus.

Qui de alto se ipsum precipitat et hominem occidit, qui ramum incautus deiciens non proclamavit, seu lapidem aut aliud deiecit hominemque occidit, huic pene succumbit.

27. De incendiis

Qui dolose domum incenderit, capitis pena plectetur velut incendiarius.

28. De noxiis medicaminibus

Poculum amatorium vel aliquem cibum noxium quisquis instruxerit, etiam si neminem leserit, impunis non erit.

29. De eisdem

Mala et noxia medicamenta ad alienandos animos, seu venena qui dederit, vendiderit, habuerit, capitali sententia feriatur.

30. De iudice depravato

Si iudex accepta pecunia reum quemlibet criminis et mortis fecerit, capitis periculo subiacebit.

Si iudex fraudulenter atque dolose sententiam contra leges protulerit, auctoritate iudiciaria inrecuperabiliter cadat, notetur infamia, rebus eius omnibus publicatis. Quod si iuris ignorantia a iuris sententia aberraverit, ferens iudicium pro simplicitate manifestum regie misericordie subiacebit.

In maleficiis voluntas spectatur non exitus.

31. De arripiantibus novam militiam

Quicumque novam militiam arripuit contra regni nostri beatitudinem et pacem sine integritate militie nomine et professione penitus cadat, nisi forte a militari genere per successionem duxerit prosapiam.

32. De tironibus

Nullus tiro ga aut veteranus aut censibus obnoxius ad militia accedat.

33. De iniuriis privatorum

Cuicumque de popularibus ex consulto tamen et deliberatione barba fuerit depilata, reus soldorum aureorum VI regalium pena condempnetur; si vero in rixa factum fuerit, sine deliberatione, solidorum III.

Vel iumentum cauda decerpitur.

34. De fugacibus

Si quis temerario ausu presumpserit bona in quiete et tranquillitate regni habita, cum pro ipso laborare expedit, labores fugiendo obmittere, omnia bona sua dominus eius habeat, et illius persona curie assignetur.

35. De seditiariis

Si quis in exercitu seditiones, iurgia seu aliud fecerit, uti exercitus noster turbetur, persona eius cum omnibus suis bonis mercedi curie subiacebit.

Si quis fecte vel fraudulenter ad magnum exercitum non venerit, seu, postquam venerit, ab exercitu sine licentia curie recesserit, capitalem subibit sententiam, vel in manibus curie tradetur, ut ipse et eius heredes culusti fiant.

36. De mordisonibus

Comperit nostra serenitas infra regni nobis a deo concessi fines quorundam immanitate clandestina incendia, tam in urbanis quam rusticis prediis, perpetrari, arbores quoque et vites furtim cedere. Proinde hac edictali pragmatica sanctione in perpetuum valitura deo propitio sancimus, ut si quis amodo de huiusmodi reatu fuerit appellatus, si suspicionem careat et eius conversatio per bonorum testimonia illibata consistat, pro tenore veterum legum, aut cuiuscumque loci consuetudine se expurget. Si vero tanti reatus non levis suspitio de eo fuerit, vel preterite vite sue probrosus cursus extiterit, opinionemque eius apud bonos et graves dehonorerit, de calumpnia prius actore iurante, non ut actenus set ceteris super hoc legibus sopitis et moribus, igniti ferri subeat iudicium. Predicti denique criminis confessus aut convictus, dampno prius lese partis de eius facultatibus resarcito, vite sue periculum, vel membrorum suorum privatione pro bene placito maiestatis nostre incurret.

37. Que sit potestas iustitiarum

Sancimus ut latrocinia, fracture domorum, insultus viarum, vis mulieribus illata, duella, homicidia, leges parabiles, calumpnie criminum, incendia, forisfacte omnes, de quibus quilibet de corpore et rebus suis mercedi curie debeat subiaccere, a iustitiariis iudicentur, clamoribus supradictorum baiulis depositis, cetera vero a baiulis poterunt definiri.

38. De intestatis

Nuper ad nostri culminis pervenit audientiam quod cum aliquis burgensium vel aliorum hominum civitatum intestatus decedit, sive filii ex eo existant sive non, res eius ad opus curie nostre capiebantur, quod admodum maiestati displicuit et grave tulimus.

Nos itaque, ex solita nostre benignitatis gratia, hanc pravam consuetudinem penitus resecare volentes, precipimus, ut, si quis burgensium vel aliorum, qui in ipsa civitate devenerit, intestatus decesserit, si ex eo filius vel filia exiterit, ipse sui patris heres existat, et tertia pars omnium rerum eius pro ipsius anima erogetur.

Si vero nulli filii ex eo existant, tunc proximiores eius tam ex linea ascendentium et descendentium quam ex latere venientium, qui de iure ei succedere debent, heredes existant, si de feudo vel de servitio non fuerit, tertia tamen parte rerum suarum pro defuncti anima distributa.

Si autem filius vel filia ex eo nullus exiterit, vel alius tam ex linea ascendentium quam et descendentium, vel ex latere venientium, qui de iure ei succedere debeat, tunc etiam tertia parte omnium rerum suarum ut dictum est integre pro defuncti anima prestita, residuum ad opus curie nostre capiatur.

Si vero cum herede seu sine herede testatus decesserit, ultima eius voluntas in integrum observetur.

39. De excessu prelatorum et dominorum

De prelatis autem ecclesiarum sic a regia munificentia statutum est, ut in his tantum ab hominibus suis adiutorum exigant, videlicet, pro consecratione sua, cum ad concilium a domino papa vocantur, pro servitio exercitus nostri, si quando in exercitu servierint, vel si vocati fuerint a rege vel missi, pro corrodo nostro si quando in terris eorum nos hospitari vel corrodo ab eis recipere contigerit. Et in his tantum casibus a prelatis omnibus, comitibus, baronibus et militibus moderate secundum facultates hominum suorum audiutoria exigant et accipiant.

40. Rescriptum pro cleris

De eo autem quod male interpretatum est videlicet quod de nostre maiestatis constitutione villani non audeant ad ordinem clericatus accedere, sine voluntate et assensu dominorum suorum, ita statutum est, quod si aliquis villanus est et servire debet personaliter intuitu persone, ut sunt ascripticii et servi glebe, et alii huiusmodi, qui non respectu tenimentorum vel alius beneficii servire debent, set intuitu personarum, que persone eorum sunt obligate servitis isti quidem, sine assensu et voluntate dominorum suorum ad ordinem clericatus accedere nequerunt. Illi vero, qui non intuitu personarum set respectu testamentorum vel aliquorum beneficiorum que tenent servire debent dominis suis, si voluerint ad ordinem clericatus accedere, liceat eis etiam sine voluntate dominorum suorum, prius tamen renuntiatis his que tenent a dominis suis.